



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nucleus Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum  
quæ scitu vel necessaria, vel valde vtilia sunt  
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

**Agostini, Giuseppe**

**Coloniae Agripp., 1644**

De Vsura.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41767**

quæ est quoddam pignus immobile, vñ  
ager, vinea, domus, &c. Agūt de pigno-  
re Bonac. loc. cit. q. 10. Less. lib. 2. cap. 8. dub.  
5. Azor. loc. cit. tit. de pignor. Fillinc. tom. 2.  
tract. 38 cap. 9.

### De Usura.

26 **S**equitur etiam restitutio ex usura.  
Est autem usura lucrum pretio æ-  
stimabile, per se seu principaliter proue-  
niens ex mutuo. Nam natura mutui  
hæc est, vt nihil ex mutuo accipiat mu-  
tuans, sed gratis det mutuuum: dicitur  
per se, seu, principaliter, quia ex alijs ca-  
pitibus posset qui dat mutuuum, aliquid  
ex isto habere ultra sortem: nempe pro-  
pter damnum emergens, & lucrum ces-  
sans; non autem per se præcisè ex mu-  
tuo. Differunt autem damnum emer-  
gens, & lucrum cessans. Primum est,  
cum ex mutuo, seu quavis donatione  
pecuniæ cogor subire aliquod damnum  
subsequens necessariò ad talem dona-  
tionem: v.g. ego ex hac pecunia, quam  
do mutuam, volebam redimere bullã,  
propter quam soluo decem quouis  
anno,

anno,

anno, non redimo, & ita subeo ad damnum soluendi decem: quæ decem possum recipere à mutuuario propter hoc damnum emergens. Lucrum verò cessans est, quâdo ea pecunia ego eram negotiaturus, & lucraturus alia decem; eadem etiam potero recipere à mutuuario, si verè illud est lucrū cessans, & non fictè, computatis etiam periculis, quæ solent esse in negotijs. Contractus usurarius expressus est, cum expressè ponitur lucrum ultra sortem, sine alio titulo, nisi mutui. Palliatus est, cum ponitur alius titulus, sed reuera nullus talis titulus est, sed solius mutui.

27 Usurarius, si sit occultus, non est absolueadus; nisi re ipsa restituat, si habet, & ostendat vera signa cessationis ab usuris. Si verò sit publicus; debet etiam satisfacere Ecclesiæ, & populo aliquo modo, præter restitutionem. Agunt de usura *Azor. tom 3. cap. 5. tit. de usura. Fil.*

*linc. tom. 2. tract. 34. par. 2. Tolet.*

*lib. 5. cap. 29. Less. lib. 2.*

*cap. 2.*

De